



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

2 An pro viuentibus omnibus poßit offerri.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

in hoc sacrificio duplicem fructum. Vnus est ex opere operantis; & de hoc sunt certa omnia dicta, quantum ad fructum impetrationis & satisfactionis, qui de se aliis communicabilis est: unde etiam in lege veteri & naturæ suo modo locum habent; quia etiam illis temporibus esse poterat, inter fideles & Ecclesiam membra, bonorum operum communicatio, quoad prædictos fructus. Alius fructus est ex opere operato, & quoad hunc est nonnulla difficultas, quam tractabimus disputatione sequenti.

SECTIO II.

Utrum sacrificium Missæ debeat, vel possit, pro omnibus hominibus modo uiuentibus offerri.

Ex hominibus uiatoribus & in hac vita degentibus, quidam sunt infideles: alij fideles, vel baptizati, vel catechumeni: alij adulti, alij infantes: alij iusti, alij peccatores, & inter hos, quidam ab Ecclesia tolerati, alij uero quodammodo separati, & excommunicati. Et similiter inter infideles, quidam sunt Ecclesiæ iurisdictioni subiecti, & consequenter eius censuris ligati, ut apostata & fide, quam in Baptismo professi fuerunt: alij uero omnino sunt extra spiritualem & directam iurisdictionem Ecclesiæ, qui eius censuris non ligantur, ut Iudei, & reliqui omnes non baptizati: de his ergo omnibus definiendum est proposita quaestio. In qua considerari potest, quid ex natura rei liceat, sedulâ positiua prohibitione, quid uero, aut ex Christi institutione, aut ex Ecclesiæ ordinatione liceat, vel prohibuitur sit: ac denique, quid possit absolute fieri, ita ut factum teneat, siue licite, siue illicite fiat.

Quodlibet. Dico primo: Quodlibet Missæ sacrificium offerendum aliquo modo est pro uniuersa militante Ecclesia, & omnibus membris eius: id est, pro baptizatis uiuentibus, qui, nec per infidelitatem, nec per excommunicationem sunt ab ea, eiusque communicatione seiuñcti. Conclusio est communis auctorum omnium, quos statim referemus, specialiter uero circa illam legi potest Scotus, quodlib. 20. & Gabriel. lect. 20. & 27. in Can. & colligitur ex cap. Vistum, de consec. dist. 1. ex Conc. Cabil. II. cap. 39. in uerbis illis: Nulla dies excipitur, in qua non pro uiuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: & loquitur de deprecatione, qua fit in sacrificio Missæ. Con. item

Comil. Trid. Trid. sess. 22. cap. 2. & can. 3. simpliciter definit, sacrificium hoc debere pro uiuis offerri. Præterea ex usu ipsi & uerbis Ecclesiæ hoc constat: nam in Missa imprimis fit oblatio pro uniuersa Ecclesia: signum ergo est, ita esse ab Ecclesia institutum. Quæ institutio, & supponit potestatem ex parte ministrorum, & aptitudinem ac sufficientiã ex parte sacrificij, & præterea obligationem inducit ita faciendi, nam sacerdotes tenentur, ritum Ecclesiæ sacrificando seruare, & hæc est ratio à priori huius obligationis. Ratio autem potestatis ex parte sacerdotis sumitur ex munere eius, quia est mediator & intercessor apud Deum pro uniuersa Ecclesia. Ratio denique sufficientiæ ex parte sacrificij est, vel infinitas eius, vel certe, quod est ueluti commune bonum totius Ecclesiæ, quod omnium nomine offerri potest.

Quæstio. Sed quaeres, quisnam fructus ex hac generali obligatione, & uniuersæ Ecclesiæ, & singulis eius membris proueniat, eise applicari debeat? Multi enim existimant, applicandum esse singulis aliquem fructum ex opere operato. Sed, licet uerum sit, posse sacerdotem, si uelit, hoc facere, subintellecta conditione supra indicata, nempe, si ex parte eorum impedimentum non sit, vel quatenus ipsi fuerint capaces: quod tamen ita ex obligatione fieri debeat, mihi nec uidetur uerisimile, nec sufficiente fundamento affirmari. Existimo ergo, non teneri sacerdotes, quotiescunq; sacrificant, aliquem fructum ex opere operato, Fr. Suarez Tom. 3.

præsertim satisfactionis, singulis fidelibus applicare: quia neque iure diuino ad hoc tenentur, neq; ex præcepto Ecclesiæ: quia neutrum horum scriptum est, aut traditione habetur: neque etiam ex ritu Missæ, vel omnibus uerbis, quæ in canone, vel oblationibus eius dicuntur, id colligi potest: nam, ut fiat uniuersalis oblatio, satis est quod deprecatio sit uniuersalis: & quod ad efficaciam impetrationis sacrificium offeratur: nam alias, cum fructus satisfactionis definitus sit, uix aliqui superesset, quod pro aliquo in speciali applicari posset, de quo latius dicemus disputatione sequente.

Qui fructus toti ecclesie respondeat, ex quolibet sacrificio.

Sed quaeri rursus potest, an possit Sacerdos aliquem excludere ab hac generali oblatione. Respondetur, grauius peccare, vel propter scandalum, si publice oblatione ex id faciat, vel propter odium formale, aut virtuale: dicitur autem, licet non teneatur ex charitate pro singulis oblationem, tenetur tamen eos à communibus orationibus non excludere, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 35. art. 8. & 9. & tractat Nauarr. lib. de orat. ca. 19. num. 120. Vel denique, quia agit contra Ecclesiæ institutionem & intentionem, cuius minister & legatus est ipse Sacerdos. An uero factum teneat, quamuis illicite fiat, nonnullam difficultatem habere uidetur: hinc enim apparet, fructum non applicari, nisi per intentionem ministri operantis: & ideo, si ipse aliquem excludit, uidetur fieri, ut ille sine fructu maneat, quia per intentionem ministri ei non applicatur: quamuis in hoc minister peccet. Sicut relinquatur aliquis absque sacramento, si minister non habuit intentionem conficiendi illud, quamuis in hoc peccauerit. Aliunde uero uidetur non tenere factum: quia oblatio, & oratio Ecclesiæ generalis est ex intentione & uerbis Ecclesiæ: & ideo hoc ipso, quod minister in persona Ecclesiæ & uerba eius orat, non uidetur habere potestatem ad excludendum aliquem. Et hoc quidem posteriorius uerum est, quantum ad fructum, qui prouenire potest ex parte Ecclesiæ impetrantis, & offerentis, illud autem prius procedit de fructu, qui prouenire potest, vel absolute ex opere operato, vel ex priuata intercessione Sacerdotis.

Qualiquis a communi oblatione excluditur, si peccat.

Qui fructus sic excluditur ueniat.

Supereff uero difficultas circa conclusionem ita uniuersæ propositam, nã infantes baptizati in eommero comprehenduntur, & tamẽ non potest pro eis sacrificij offerri: quia non sunt capaces alicuius fructus eius: itẽ comprehenduntur existentes in peccato mortali, qui uidentur indigni, ut pro eis offeratur. Tãdem in Concilio Elibert. cap. 29. prohibemur offerre pro energumenis, seu vexatis à dæmone, & tamen in prædicta conclusione comprehenduntur. Respondeatur, infantes esse incapaces fructus ex opere operato, non tamẽ impetrationis, ut per se constat, & hoc satis esse, ut pro eis possit sacrificij offerri, ut ex dictis patet, & colligi potest à simili ex Clem. I. 8. constitut. ca. 10. Atque idem est de existentibus in peccato mortali: potest enim pro eis offerri, ut conuertantur, & à Deo bene disponantur. De energumenis autem certum est, excludi non debere, nam in primis illa nõ est culpa, sed pœna: qua non oblata, digni esse possunt, & capaces fructus, etiam ex opere operato. Deinde potest eis impetrari, ut ab illamet dæmonis vexatione liberentur, ut patet etiam ex Clem. dicto li. 8. c. 8. Canon autẽ ille Concilij Elibertini difficilis est ad explicandum: quo sc. sensu & qua ratione editus fuerit: sed in primis ibi non dicitur, huiusmodi energumenos excludendos esse à generali oblatione, sed solum, he illorum nomina ad altare cum oblatione recitentur: quod forte tunc fiebat aliqua publica oratione, & propter decentiam, uel propter uitandum scandalum, eo tempore & loco uisum est expedire, ut huiusmodi homines non nominarentur publice in altari. Vel certe intelligendus est ille canon de energumenis, quod propter publica peccata traditi erant potestati dæmonis: nam de alijs statim can. 37. dicitur, non esse illis negandam communionem, cur ergo diceret eis ne-

Qui fructus infantibus ex generali oblatione prouenire possit.

Quis, qui leuatis peccato ligantur.

Qui energumeni.

Clem. Rom.



gandam esse publicam orationem? ergo oportet posterioriorem canonem intelligere de euergermenis, qui in bono statu esse creduntur: priorem vero de his, qui propter peccata sua, vel propter publicam correctionem, tali penam digni censentur: utrunque vero hic canon intelligatur, iam non est in usu.

*Eucharistici sacrificium pro catechumenis offerri licitum est.*

Dico secundo, hoc sacrificium posse etiam offerri pro catechumenis fidelibus nondum baptizatis, & fortasse, quando fit oblatio pro vniuersa Ecclesia, illi etiam comprehenduntur: sunt enim substantialiter (vt sic dicam) vniuersi Ecclesiae per fidem, quamuis nondum sint per Baptismum, vel Characterem, Ecclesiae coniuncti. Hoc etiam confirmat antiqua consuetudo: refert enim Clemens, lib. 8. ca. 45. & 46. publicas orationes solitas fieri in Missa pro catechumenis: sicut nunc fit in die Parasceues, & idem legitur in liturgia Chryl. Augustin. etiam ep. 109. ad Vitalem dicit, Sacerdotem itanem ad altare, orare pro catechumenis, vt illis Deus inspirat desiderium regenerationis, qua dicit esse antiquam traditionem Apostoli. quae etiam refertur in li. de Eccl. dogmat. c. 30. Obsecrationum, inquit, sacerdotum sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholica Ecclesia vniuersim celebrantur, vt lex tradendi, legem statuat supplicandi: cum enim sanctorum plebium Praesules mandata sibi met legatione fungantur apud diuinam clementiam, humani generis agunt causam & tota secum Ecclesia conuiscens postulant & precantur, vt catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis caelestis misericordiae aula referretur. Quae verba leguntur etiam apud Celsi.

*Clem. Papa.*

*Chrysolom. Augustinus.*

*Celsi.*

Quae verba leguntur etiam apud Celsi. Papam, ep. 1. ad Episcopos Gall. cap. 11. & in 1. tom. operum Chryl. hom. de Adam & Eva. An vero nunc necesse sit, semper ita fieri, vt omnia sacrificia pro his quoque offerantur, saltem generali oblatione, non constat: nam licet expositio data sit, cum Ecclesia offert pro omnibus fidelibus, comprehendit eos posse, qui reuera fideles sunt, probabilis fit, tamen etiam potest probabiliter intelligi de fidelibus tantum, qui huiusmodi suam solemniter professi sunt, quae professio fit per Baptismum. Existimo autem consultius esse, vel pro eis offerre, vel generalem intentionem habere offerendi pro omnibus fidelibus, iuxta Ecclesiae intentionem, vel Dei beneplacitum, nam in hoc potest esse aliquod commodum, & nullum periculum. Rursus inquiri potest, quid possit haec oblatio prodesse catechumenis, aut, quis fructus sacrificij eis possit applicari. Respondet: posse eis prodesse, quoad fructum impetrationis, & ita esse intelligendam generalem oblationem, vt dixi: de fructu vero satisfactionis ex opere operato, probabiliter existimo non posse eis applicari, vt infra dicam. Et hoc modo intelligi potest Con. Brae. I. can. 35. vbi prohibetur oblatio pro catechumenis, quod etiam legitur apud Chryl. ho. 3. in ep. ad Philipp. loquuntur enim specialiter de catechumenis defunctis sine regulatione Baptismi.

*Quae fructus catechumeni ex hac oblatione reportare queant.*

*Pro infidelibus non excommunicatis oblationem facere licet.*

Dico tertio, etiam potest hoc sacrificium offerri, pro quibuscumque infidelibus, dummodo per Ecclesiam excommunicati non sint. Probatur primo, quia ex natura rei non est malum pro his sacrificium offerre, neque etiam est a Christo Domino specialiter prohibitum, vt dictum est: & seclusa Ecclesiae censura, nulla etiam interponitur Ecclesiae prohibitio: ergo, sicut potest oratio fieri pro his infidelibus, quia sunt capaces spiritualium bonorum, seu quia sunt charitate diligendi, ita etiam potest offerri pro eis hoc sacrificium, quatenus impetratorium est, nam absolute & sine limitatione est institutum, & cum qualibet iusta oratione coniungi potest, vt impetrandi efficaciam augeat. Secundo probatur ex vfu veteris legis, in qua fiebant sacrificia pro Gentibus, pro Dario, 1. Esdræ 6. pro Spartiatis 1. Machab. 12. Pro Heliodot. 2. Machab. 3. quae consuetudo fundatur in ratione sacrificij, quae non erat tunc limitata ex speciali precepto Dei: ergo idem nunc licet propter eandem

1. Esdræ 6.  
2. Machab. 12.  
3. Machab. 3.

causam: quia nostrum sacrificium de se magis sufficiens, magisque vniuersale existit. Vnde argumentor tertio, nam idem fuit vfu huius sacrificij in Ecclesia, vt colligere licet ex Clem. citato l. 8. c. 45. & sequentibus. Vbi dicit, publicam orationem & oblationem fieri solam pro Regibus, & exercitibus eorum, qui tunc infidelis erat, Coelestis etiam P. dicta ep. 1. c. 11. eodem modo loquitur de his infidelibus, quo de catechumenis, & in hunc modum interpretari videtur Paulum, ad Tim. 2. vbi praecipit, orationes & oblationes pro omnibus fieri. Vbi idem sentiunt Chryl. ho. 5. & alij Graeci & Latini, qui de obsecrationibus, quae fiunt in Missa, & de oblatione impetratoria, Paulum interpretantur, & Chryl. discrete dicit, pro Gentili Rege esse offerendum: & hom. 77. in Io. In mysterijs (inquit) communes pro non initiatis preces fundimus, & pro vniuersi orbis fructibus sacrificamus: & Tert. li. ad Scapul. c. 1. Sacrificamus, ait, pro salute Imperatoris, qui tunc erat infidelis. Idem sentit Arnob. lib. 4. cont. Gent. in fine. Euseb. l. 1. Demonst. c. vlt. & Prosp. li. de vocatione Gent. c. 4. tractans in hunc modum praedictum locum Pauli, & optime omnium Aug. ep. 59. Vltimo argumentor in hunc modum: nam sacrificium crucis pro omnibus oblatum est, etiam pro infidelibus: ergo & hoc sacrificium, quantum est ex se, potest pro eis offerri. Patet consequentia, quia, sicut illud fuit vniuersale, quoad sufficientiam, ita hoc esse debuit suo modo vniuersale quoad efficaciam, seu ad applicandum aliquo modo fructum illius sacrificij, saltem per modum impetrationis. Vnde Paulus loco citato, quali veritate huius radicem declarat, non solum dixit, obsecrationes & oblationes esse pro omnibus faciendas, subdit. Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui tradidit semetipsum pro omnibus.

Est autem circa hanc conclusionem aduertendum, dupliciter posse sacrificium pro his infidelibus offerri. Primum indirecte, vt quando offertur pro augmento Ecclesiae, vel aliqua re simili, non enim aliter augetur Ecclesia, nisi per infidelium conversionem. Secundum directe, vt quando offertur pro bono ipsorum infidelium, vel spirituali, vel et temporali, vel in communi, vel in particulari, pro hac aut illa natione, aut persona. Qui duo modi, quamuis in re saepe coinciderint, differunt tamen in fine seu intentione. In priori enim per se intenditur Ecclesiae bonum. In posteriori vero magis videtur intendi bonum aut commodum ipsorum infidelium: quia in priori modo ex vi eius non ordinatur oblatio ad hoc potius, quam ad illos infideles: neque ad hos potius, quam ad illos effectus: sed solum ad id, quod fuit conexum cum illo bono, vel commodo Ecclesiae, quod postulat: in modo autem posteriori recte potest determinari oblatio ad personas, vel effectus spirituales aut temporales, pro deuotione offerentis. Ex his ergo duobus modis, prior non solum est licitus, sed etiam frequenter in Ecclesia vfitatus fere ab initio, nam in liturgia Iacobi oratur pro extranea haeresi, in liturgia autem Basilij & Chrysolomi inter alia dicitur, Domine miserere orbis terrarum: errantes reuoca, dispersos congrega: & in Missali Romano habetur Missa pro extraneo schismate, & hoc modo quotidie offerimus pro Anglia, Germania, &c. oramusque vt in pristinum statum Ecclesiae suae Catholicae DEVS prouincias illas restituat, & vt praedicatoribus gratiam conferat, audientes autem illum. Posterior autem modus etiam est licitus, non solum in generali quod clarius est, sed etiam in particulari: quoniam nulla est prohibitio, nominandi etiam personam, dummodo excommunicata non sit, erit tamen consultius, & consuetudini Ecclesiae magis consentaneum, nunquam expresse nominare personam aliquam infidelis, ita vt ab aliis audiri possit, ne forte scandalum aliquod, aut admirationem ingerat.

Obiici vero potest contra hanc doctrinam testimonium Augustini lib. 1. de Origine animae, capite 40. §. Quis

8. Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro his qui sunt membra Christi? Quod de membris viuis per charitatem explicat D. Th. supra, q. 79. ar. 7. ad 2. & subdit: Et ideo in canone Missæ non oratur pro his, qui sunt extra Ecclesiam. Ad Aug. responderet D. Th. in 4. d. 12. q. 2. ar. 2. quæstionum. 1. ad 4. tunc offerri pro membris Christi, quando offeritur, ut fiat membra in actu, quæ tantum erant in potentia. Itaque offeritur hoc sacrificium pro membris Christi, vel quæ iam sunt; vel, ut fiant, unde non prodest nisi membris Christi, vel perficiendo ea, quæ iam sunt, vel impetrando, ut regenerentur: nam, licet offerri etiam possit ad impetranda eis temporalia bona, semper tamen fieri debet cum ordine ad spiritualia, & præferim ad eorum conversionem. Adde vero, si mentem Augustini spectemus, illum ibi loqui de oblatione pro defunctis, ut patet ex initio capituli. De illis autem paruulis, quæ morte præueniuntur, prius quam baptizentur, &c. & infert sententiam heretici, dicens. Pro eis oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum cælestialia sacrificia Sacerdotum, in quo valde errabat, existimatis hos posse saluari eisque celorum regnum posse impetrari; & ideo contra hunc errorem subdit Aug. Qui offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi? nam cum alij, qui non sunt membra Christi, per mortem omnino fiant extra statum salutis, nullo modo potest pro eis sacrificium offerri: quædiu vero hic viuunt, capaces sunt salutis, eisque potest obsecratio impetrari, & ideo pro eis offerri potest, & ita reuoluitur in D. Thomæ expositionem. Vteriusque addo dictum Augustini esse verum de oblatione, quoad effectum ex opere operato: de quo etiam vera est expositio D. Th. de membris viuis, ut infra videbimus: nunc autem generaliter & absolute de oblatione loquimur, quæcumque ratione fieri possit. Quod autem D. Thom. addidit, in canone non orari pro huiusmodi infidelibus, verum quidem est, id tamen non vetat, quo minus, Sacerdos pro eis orare possit, & in oblatione calicis Ecclesia orat: pro nostra & totius mundi salute.

Dico quarto & vltimo, pro excommunicatis maiori excommunicatione siue fideles sint, siue apostata, non licet, hoc sacrificium offerre publica oblatione, seu agendo publicam personam ministri Ecclesiæ. Ratio est, quia id est prohibitum in cap. Nobis 2. & c. Sacris, de sententia excom. est enim hic vnus de effectibus maioris excommunicationis, de quo ex professo agendum est in tomo sequente: pertinet enim ad materiam de censuris, interim legi possunt D. Th. in 4. d. 18. q. 2. art. 1. Soto d. 22. q. 1. art. 1. in cap. Almarater. p. 1. §. 6. non omitam autem aduertere, siue ylo serupulo (quidquid Soto significet) posse Sacerdotes in Memento, orare pro excommunicatis, priuata oratione & intentione, quia de hoc nulla est facta ab Ecclesia prohibitio, imo aliqui dubitant, an fieri possit, de quo alias.

SECTIO III.

Vtrum hoc sacrificium possit pro omnibus defunctis offerri.

Distinguamus tres defunctorum ordines; quidam enim sunt valde mali, ut damnati, sub quibus infantes comprehendimus sine Baptismi decedentes. Alij valde boni, ut beati, sub quibus comprehendere possumus animas iustorum, quæ fuerunt in sinu Abrahamæ; quia, licet ille status iam cessauerit, & ideo de illis nulla nobis est quæstio, posset tamen moueri in ordine ad sacrificia, vel suffragia, quæ fuerunt in vltu veteris legis; computantur igitur in hoc ordine, quia nullum malum, nec reatum personalem habebant, sed expectabant totius nature remedium quod solus Christus in ara crucis oblaturus erat. In tertio ergo ordine sunt, qui in purgatorio existunt, qui non sunt mali, sed potius boni simpliciter, non tamen ab omni reatu immunes.

Fr. Suarez, Tom. 3.

Primò igitur certum est, non posse hoc sacrificium pro valde malis offerri. Ita docet Aug. dicto c. 109 in Enchi. & lib. 1. de origine animæ cap. 9. & 10. & lib. de statu sacrificii pro mortuis agenda, cap. 1. & Greg. 34. Moral. c. 13. alias 16. & 4. Dial. ca. 44. negat enim pro damnatis orandum esse. Sic enim Greg. II. epist. vlt. ad Bonifacium & habetur in c. Pro obeuntibus. 13. q. 2. dicit, non esse offerendum sacrificium pro impijs defunctis; id est, quando eos in mortali peccato mortuos esse conliferit. Similiter in Conc. Brach. l. cap. 34. prohibetur offerri pro his, qui violentam mortem sibi inferunt. 18. q. 5. c. P. lacuit. Et in hoc consentiunt omnes Scholastici in 4. d. 45. & vniuersa Ecclesia sentit, non esse pro damnatis orandum: quia eorum desperata est correctio, & hæc est ratio huius conclusionis. Quæ vterius explicatur, primo, quia illi iam non sunt membra Christi, neque actu nec potentia: ergo neque illis prodesse potest passio Christi, ergo neque pro eis potest offerri sacrificium Christi. Secundo, quia illis non potest prodesse hoc sacrificium ex iustitia, ut per se constat; neque etiam ex misericordia: nam, ut recte dicit Bernardus, serm. 3. in Pf. Qui habitat. illi iam non sunt in statu misericordiarum, sed rigoroſe vindictæ. Tertio, damnatis nulla fit remissio culpæ, nec pœnæ, alias multiplicatis sacrificiis, posset tolli aequalis pœna, quod est contra æternitatem & perpetuitatē illius status. Sequela patet, nam, quæ ratione per vnum sacrificium tolleretur aliqua pars pœnæ, per aliud simile, & cæteris omnibus paribus, posset tolli aequalis pars, ergo tandem posset tota absumi, quia illa pœnæ ex ea parte, quæ diminueretur, sc. ex parte subiecti seu intentionis, finita est. Quod autem quidam dicunt de remissione per partes proportionales, fictitium & voluntarium est.

Contra hanc conclusionem opinatur Glossa in c. Contra Tempus 13. qu. 2. vbi partitionem supra positam ex clausurâ quæ sententiæ. Augustino, in quatuor membra diuidit, addit enim quosdam mediocriter malos, qui reuera mali sunt & damnati, non tamen propter ingentia, vel multa peccata, sed propter pauciora, vel leuiora mortalia, & pro his dicit posse offerri hoc sacrificium, eisque prodesse posse, non ad liberationem, sed ad quædam pœnæ relaxationem, & videtur posse fundari, in Aug. in Enchi. c. 110. dicente, quibusdam valere hoc sacrificium: ut eis plena fiat remissio, a his, ut tolerabilior fiat damnatio; & c. 112. permittit opinari damnatorum pœnas posse mitigari, dummodo non afferatur, posse finiri: quin potius Innocentius III. in c. Cum Marthæ de celeb. Miss. illa vititur quadrimembri diuisione, quæquam de reliqua parte huius sententiæ nihil asserat. Eam vero aliquos fuisse secutos refert Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. Sanct. annot. 47. & nonnulli Catholici, ut disput. sequenti videbimus, existimant, hoc sacrificium posse prodesse homini existenti in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis, cuius reatus mansit ex prioribus peccatis remissis. Scotus autem alicubi opinatur, huiusmodi pœnam, debitam propter peccata remissa, vel etiam propter venialia, posse in inferno finiri, atque ex hac parte posse diminui inferni pœnam. Ergo iuxta has saltem opinioniones posset hoc sacrificium prodesse damnatis ad remissionem huiusmodi temporalis pœnæ.

Respondetur, sententiam illius Glossæ omnino esse falsam, & à Theologis omnibus reiectam in 4. d. 45. ut videbimus latius in sequenti tomo, tractando de suffragiis. Et fundamentum precipuum est supra tactum, quia ineptum, & contra rationem est, sacrificium pro his offerre, quibus prodesse non potest: sed hoc sacrificium non potest prodesse damnatis: quia in inferno nulla est redemptio: neque bonum vllum, aut vlla misericordia eis potest impetrari. Neque Augustinus quicquam fauet oppositæ sententiæ, nam potius illo c. 110. sæpe docet, hoc sacrificium nihil posse prodesse damnatis. Quod si contingat (inquit) offerri pro his, qui damnati sunt; quia damnati esse ignorantur,

Kkkk 2 Vale-

Disputatur eius vltimum explicatione.

Pro quibuslibet maior excommunicatione ligatis offerre non licet Sacerdoti, quæ Ecclesiæ sacramentum est. D. Thom. Soto. Censur. dicitur ut priuata personam gerit.

Disputatur illius.

Pro damnatis Eucharistia sacrificium offerri nequit. Augustinus. Greg. Ma. Greg. II. Conc. Bra. l.

D. Bernard.

Augustinus.

Innocent. III.

Sixtus Sen.

Scotus.

Respondetur auctoritati huiusmodi.

